DE

RHEVMATISMI ET ARTHRITIDIS DIFFERENTIA

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS AVCTORITATE

PRAESIDE

BERNHARDO CHRISTIANO OTTO,

PHILOS. ET MEDIC. DOCT. MEDIC. PROFESS. P. O. SOCIETAT. PATRIOT. OECONOM. SILES. ET MARCH. PHYSIOGRAPH. LVNDENS. NATVR. SCRVTAT. BEROL. ATQVE HALENS. SODAL. ORDINIS MEDICI H. T. DECANO,

D. XXVI. IVNII MDCCCI. 1801

DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRVRGIAE GRADVM

LEGITIME CAPESSITVRVS

PVBLICE DISSERET

JOANNES CAROLVS FERDINANDVS BERG

BEROLINENSIS.

TRAIECTI AD VIADRVM,

E TYPOGRAPHEO APITZIANO.

PRAEFAMEN.

Licet de rheumatismo et arthritide ſcripſerunt multi et inter illos peritiſſimi in arte medica viri, videntur tamen ea, quae circa huius illiusque morbi differentiam dici queunt, nondum exhauſta eſſe. Equidem medicorum parentes, nullius discrepantiae gnari, vtrumque morbum ſub arthritidis nomine deſcripſere, ita tamen, vt manuum, pedum, coxarum atque genuum dolori peculiaria tribuerint

 nomi-

nomina *). *At primus omnium, qui rheumatismi mentionem fecit,* ALEXANDER TRALLIANVS **) *hoc vocabulo et pro pedum doloribus, et pro aliis morbis articularibus ſignificandis crebro vſus eſt. Poſt hunc* PAVLVS AEGINETA ***) *fluxum muliebrem rheumatismi vterini titulo ſalutauit. Quinetiam apud* COELIVM AVRELIANVM *rheumatismi vocabulum habetur atque ibidem* ****) *fluorem denotat, quamquam idem auctor ſub arthritidis nomine plura expoſuit, quae rheumatis-*

*) Vid. CELS. de medic. lib. IV. cap. 22 — 24. ARETAEVS de cauſſ. et ſign. morbor diuturn. lib. II. cap. XII.

**) Lib. XI. Cap. 1.

***) Lib. III. cap. 63.

****) Morb acut. lib. II. cap. 27.

matismo hodie dicto occurrunt *). *Attamen antiquiorum medicorum nullus fuit, qui de eruenda vtriusque morbi diagnosi cogitasset, donec seculo decimo septimo* BALLONIVS **), *vir magnae famae et eruditionis doceret: rheumatismum id esse in toto corpore, quod arthritis esset in aliqua parte. Quem secuti medicorum, qui tunc temporis in Gallia, Anglia et Germania vixerunt, permulti in similes errores inciderunt, ita vt* TRALLES ***), *qui rheumatismum vniuersalem et localem statue-*

---

*) Morb. chron. lib. V. Cap. II.

**) Vid. eiusd. Opp. ed. Thevart. Tom. IV pag. 316.

***) De vsu opii salubri et noxio in morborum medela. Sect. 2.

ſtatuebat, ingenue confeſſus ſit; in primo inſultu difficile eſſe internoſcere, vtrum rheumatismus, an arthritis, morbus dici debeat. Ipſe demum SYDENHAM *et* BOERHAVE, *qui enormes huius mali cruciatus ipſe tolerauerat, dubii fuerunt circa eius diagnoſin. Hinc cel. van* SWIETEN **) *veriſſime inquit:* „*Plures certe vidi auctores, qui de rheumatismo ſcripſerunt. Sed mihi viſa fuit ſemper aliqua manere difficultas in diſtinctione adaequata inter rheumatismum et arthritidem.*“ *Omnium tamen minime* FR. HOFFMANNI **) *nobis probatur opinio; vtpote qui arthritidem ab acri quo-*

**) Comment. in Boërhauii aphor. §. 1490.

***) Med. rat. Syſt. Tit. III. cap. 3. §. 34.

quodam tartareoque humore, in articulis residente, rheumatismum contra a materia serosa, caustica et salina, musculis et ligamentis inhaerente, oriri tradidit. Acriori deinde ingenio CVLLEN *et* BOSQVILLON, *partium solidarum functiones potissimum respicere soliti, eandem doctrinae medicae partem prosecuti sunt. Tandem e recentioribus Cl.* LENTIN *) *arthritidis atque rheumatismi notas distinctiuas stabilire, contra Exc.* THOMANN **) *omnis differentiae vanitatem demonstrare conatus est. Quorum autem virorum peritissimorum vtrumque paullo lon-*

*) Vid. HVFELAND *Journal der pract. Arzneikunst* 1. B. 1. *St.* 2. B. 1. *St.* n. II.

**) Vid. Roeschlaub *Magazin der Heilkunde* 1. B. 3. *St.* n. IX.

longius a tramite recto deflexiſſe crederem. Idcirco neutri parti addictus mediam ſectabor inter diuerſas ſententias, ita tamen, vt ea, quae Exc. THOMANNO concedenda ſunt, argumenta ſilentio praetermittam.

---

§. I

§. I.

Qualis ſexus atque aetas alterutro morbo magis infeſtetur?

Ex plurimum virorum obſeruationibus inter ſe collatis euadit, *arthritidi* aetatem virilem maxime opportunam eſſe *) licet non ſemper ad diſpoſitionem quandam culpa omnis transferri poſſit. Etenim huius morbi cruciatibus vel in ipſis viris ii potiſſimum implicantur, qui ſenectuti propiores ventri, ſomno et quieti nimis indulgent. Neque eiusdem latet ratio. Quo enim magis corpus ad ſenectutem vergit, eo minor ſuccorum laudabilium copia in corporis conuertitur vſum, eoque perniciofior eſt ciborum euchylorum atque vini crebior ingurgitatio. Rarius ii infeſtantur, in quibus ex interuallo per idoneas corporis exercitationes ſtimuli interni

*) Cf. Hippocrates aphor. 30. Sect. VI. Sydenham. tractat. de podagra pag. 536.

interni tantum fubtrahitur, quantum eiusdem fuperflui per victum lautum materiae in corporis naturam transformandae additum eft. Hinc quoque iuuenes et interdum feminae *), quae tamen podagra faltim immunes effe videntur, ob peccantem nimis victus rationem paffiones arthriticas fibi contrahere poffunt.

Rheumatismus contra nulli aetati neque fexui parcere folet, vbi huius occafioni non occurritur, quae tamen in pueris et infantibus aures, oculos, nares atque inteftina, in adultis vero pulmones, pleuram, mufculos pectorales, collum, fauces, fcapulas, in fenioribus tandem coxas, renes et veficam vrinariam potiffimum infeftat. Quare huius morbi occafiones in aliis anginam, pleuritidem, ophtalmiam et otiten, in aliis otalgiam, odontalgiam, glandularum, quae in collo funt, tumores, diarrhoeam, dyfenteriam et ipfam colicam, in aliis alia aduerfae veletudinis genera ciere valent, quibus recenfendis ob chartae anguftiam fuperfedeo.

§. II.

*) Cf. Seneca ep. 195. Hipp. aphor. 29. Sect. VI.

§. II.

Vtriusque morbi differentia quoad originem et decurſum.

Ex multorum virorum obſeruationibus inter ſe collatis euadit, *rheumatismum* poſt leuiores occaſiones, maxime tamen poſt praeuias aëris atque tempeſtatis iniurias atque viciſſitudines inſolitas corpus ſubito inuadere atque medicinae debitae minus reſiſtere.

Contra *arthritis*, lento incedens gradu, neque ſine prodromis vrgere incipit, neque vlli pharmaco prompte cedit, ſed plerumque longam, et medici, et aegrotantis, exigit patientiam. Eiusdem vero in praecurſoribus eſſe ſolent laſſitudo, foetor oris, anorexia, ructus acidi, flatulentiae, colluuies pituitoſae atque ſudores, odorem acrem ſpargentes. Haec ſymptomata mox excipiunt frigus febrile, anxietas, nauſea, vomituritiones atque vomitus ipſi *). Haec omnia

---

*) Coel. Avrelian. morb. chron. lib. V. c. II.

omnia valent de arthritide regulari et primaria, qua longe pertinacior est ea species, quae non raro febribus acutis male diiudicatis, nec non quartanis longis interdum, tanquam morbus secundarius ex improuiso superuenit, nullo praecedente digestionis laesae indicio. Hanc quidem iam HIPPOCRATEM *) et in recentioribus BALLONIVM crebrius obseruasse, manifestum est; quanquam eidem arthritidis titulum auctor postremo loco memoratus tribuere noluerit. Etenim hic *vidimus*, inquit **), *plerisque, qui aut quartana longa, aut alio simile morbo laborauerant, sub finem morbi, aut quo tempore mutatio insignis aliqua in morbos cadit, omnes articulos, immo totum corpus doluisse, eo modo, vt se arthriticos putarent, aut vix arthritidem euitaturos crederent.* Et mihi in binis febris neruosae recidentis casibus idem obseruasse contigit. ***).

Deinde

*) Aphor. 44 et 45. Sect. IV.

**) l. c. pag. ibid.

***) Quantum tunc quidem obseruare potui, aegrotantes criseos exspectatae tempore vrgere coepit summa anxietas, quam non ita post secuti

Deinde Cl. THOMANNO contra LENTINVM concedendum eſt; *et arthritidem, et*
[illegible] *rheu-*

ſecuti ſunt dolores lacerantes, crura ita pervagantes, vt ad oſſa penetrare miſeris viderentur. Nonnullis diebus poſt vtrumque crus intumuit, dolore paullo mitigato. Cum autem tumor potiſſimum vrgeret circa genua, tantum aberat, vt aegri ambulare poſſent, vt ne pedibus quidem inſiſtere dolor, ſub tactum rediuiuus, ipſos permitteret. Senſim lecto affixis crura, iam non amplius per ſe mobilia, ita flectebantur, vt ad angulum nonaginta graduum femora verſus retracta per longum tempus eadem manſerint; donec poſt repetitas inunctiones mercuriales et fumigationes, propinato vna aconiti napelli et chinae extracto, alter ſanus euaſit. Alteri autem ſub medicinae alias efficaciſſimae vſu omnes ferme intumuerunt articuli, atque tophus alius ſuper alium in diuerſis partibus natus eſt, quorum haud pauci in vlcera peſſima abierunt. Neque prius morbi, quo quidem hodiedum ille laborat, cruciatus leuari coeperunt, quam totum ferme corpus, trunco tamen atque collo excepto, vlceribus male olentibus obtectum fuit.

rheumatismum modo cum febre, modo ſine hac incedere, eamque dolori modo ſuperuenire, modo antecedere *); hoc autem verum eſt, dolorem rheumaticum et citius oriri, et longe mitiorem eſſe arthritico.

Tandem quoque negari nequit, quod auctor idem affirmat **); rheumatismum nunc vniuerſalem, nunc mere localem eſſe, quoniam in nonnullis praeter dolorem, cui interdum vel tumor ſuperuenit, ſanitatis incommodum nullum obſeruatur. Sic mihi in iuuenibus glandularum maxillarium atque faucium tumores, ſi a cauſſa rheumatica profecti erant, ſaepius remediis diaphoreticis lenioribus profligaſſe contigit. Verum de *arthritide* idem non valet. Haec enim, cum tarde ſubrepat longioremque curam exigat, incidere nequit citra praeuiam totius ſyſtematis affectionem. Ideo quoque hac in re conſentire prohibeor Exc. Thomanno, qui aſſerit ***); *in arthritide pariter ac in rheu-*

*) V. Roeschlaub *Magazin der Heilkunde* 1. *B.* pag. 393.

**) V. Roeschlaub ibid. p. 392.

***) V. Roeschlaub l. c. p. 396.

rheumatismo nonnunquam ſolius partis affectae turbari functiones, vtpote cum morbum priorem neque vnquam vidiſſe, neque in annalibus ingenioſiſſimorum obſeruatorum deſcriptum reperiſſe meminerim, tanquam mere localem. Deinde coxagrae, iſchiadis neruoſae atque podagrae exemplum, ad quod auctor memoratus nos prouocat, ſententiam noſtram ideo non refellit, quoniam vel in hisce morbis, etſi quandoque mere rheumaticis et localibus, ob doloris acerbitatem non ita poſt primos inſultus totum corpus plus minus male affici ſolet.

Arthritidi quoque id proprium eſt, vt dolor orto tumore leuetur, qui tamen *rheumatismo* laborantibus et rariſſime contingere, et parum leuaminis adferre ſolet.

Porro *dolor arthriticus*, ſi regularis is morbus eſt, ſub finem cuiuslibet acceſſionis inter ſomnum et ſudores e parte affecta prorumpentes leniri, vel ad breue ſaltim tempus extingui ſolet. Contra neruorum cruciatus, quos *rheumatismus* adducit, durante morbo fere nunquam intermittunt, neque ſudoribus, niſi exiguis et ne ex laborante quidem parte prorumpentibus, mitigantur.

Vterque

Vterque morbus circa aequinoctia et facilius oriri et redire solet, ita tamen, vt *arthritis*, typum longe stabiliorem obseruare solita, haec anni tempora potissimum amet, *rheumatismus* contra aliis quoque vrgeat temporibus. Immo quoque Cel. VOGEL *) crebro obseruauit, in podagricis, intermissionis tempore refrigerium perpessis, morbum solitum non recruduisse, rheumatismis potius et catarrhis aegros implicatos esse.

§ III.

Differentia quoad morbi sedem.

Quanquam tandem *arthritis* omnes ferme partes incitabiles occupare possit, maxime tamen is morbus circa extremitates articulorum sese prodit. Inde quoque, eum pro loco affecto *chiragram*, *pechyagram*, *comagram*, *podagram*, *gonagram* etc. appellari, constat. Eandem quoque sententiam Cl. LENTIN haud perperam ita tradidit, vt diceret:

*) Vid. eiusd. **Handbuch der pract. Arzneiw. 2. Th.** p. 164.

diceret: *arthritidem non membranas, sed articulos infestare, nisi quid aliter eandem determinaret* *) i. e (si nostram explicationem subiungere licet), nisi forsan in aliis partibus maior subesset ad hunc morbum suscipiendum dispositio. Quod vero cum rarissime accidere soleat, a potiori semper affirmarem, articulos esse praecipuam arthritidis sedem. Simili quoque iure statuere possumus, rheumatismum musculis, tendinibus, ligamentisque potissimum esse infestum, etsi pro re nata omnes partes incitabiles a rheumatismi occasionibus affici queunt.

§. IV.

Diuersi, quibus arthritis a rheumatismo discrepat, effectus.

Incredibile sane dictu est, quot materiae solidae vitiositates euadere possunt ex arthritide inueterata; etenim hic dirus morbus praeter foedos tumores innumerabilia

*) V. HVFELAND *Journal der pract. Heilkunde.* 2. B. p. 83.

bilia quoque vlcera, pessimam saniem fundentia, cariem, membrorum incuruationes, anchyloses aliaque mala topica producit. Maxime tamen huius morbi funesti effectus sese produnt concretionibus calcareo-terrestribus vel exostosibus, quae circa articulos nascuntur. Imo quoque in arthriticis vngues digitorum ob similem materiam, quae ibidem secernitur, calcaream saepe defoedari cernimus. Itemque vrina iumentaria, turbida, in vasculum recepta, per quietem concrementum calculosum deponit *), ex quo elucet magna inter lithiasin et arthritidem affinitas, quae tam huius facili in morbum priorem transitu, quam vtriusque frequentiore alternatione magis adhuc confirmatur. Haec omnia non ita eueniunt in *rheumatismo*, qui rarissime tantum tumores, et ne hos quidem adeo saepe in loco affecto, sed plerumque in sanis ceteroquin partibus inferre solet. Sic in coxagra pedes, et in rheumatismo scapularum manus saepe intumescunt. Etsi deinum rheumatismus, vbi diu neglectus est, et omnes

*) Vid. GRVNER Semiot. physiol. path. §. 580. pag. 377.

omnes partes incitabiles, et ipſa quoque oſſa inuadere poſſit, non tamen unquam quis viderit; tantas hoc morbo natas eſſe partium ſolidarum deſtructiones atque articulorum defoedationes, quales nobis offeruntur in arthritide.

§. V.

Symptomatalogiae quoad finem noſtrum haud contemnenda auctoritas.

Obiicici mihi poſſe ſcio, cum ab vtriusque morbi effectibus differentiam quandam petiuerim, *ſymptomata*, auctore Cl. TOMANNO *), *nihil prorſus conferre ad eruendam morbi indolem, iſtamque materiae calcareae, cuius paullo ante mentionem feci, ad articulos depoſitionem nil praeter maiorem morbi vnius eiusdemque gradum indicare, ideoque arthritidis naturam medelamque ab illa rheumatismi nullatenus discrepare.*

 Verum

*) V. RÖSCHLAUB. l. c. p. 396.

Verum tamen adhuc multa dici queunt in contrariam partem, quae ex ordine perlustrare liceat. Namque

1) nihil nostra refert, gradum an genus morbi annuncient symptomata, dummodo sciamus, cui potissimum caussae haec tribuenda sint. Nihil autem exinde colligi posse, ideo mihi non liquet, quoniam auctor memoratus ipse confessus est; *concretiones illas tophaceas, quae circa articulos fierent in arthritide, maiorem eiusdem morbi gradum significare.* Quid amplius exinde sequitur, qnam vel opus esse efficacioribus remediis? Eandem ob rationem, vt exemplo vtar, in febribus, quibus deliria, conuulsiones, insultus apoplectici aliaque ominosa superueniunt symptomata, ad aliam plerumque confugiendum est medicinam, quae non potest non esse talis, qualis respondet periculo maiori. Vt igitur ad finem meum redeam, vanum esse iudico laborem illorum, qui nobis persuadere volunt, morborum decursum et symptomata nullatenus quid facere ad inueniendam medendi viam; siquidem ex his ea, quae arthritidis esse dicuntur, ad pertinaciorem

omnino

omnino redeunt caussam longioremque praesagiunt curationem, quam in rheumatismo laborantibus.

2) Eos porro, qui caussas solas intuentur, nosse oportet, has saepe ita prorsus latere, vt curanti non nisi intra symptomata subsistendum et exinde demum probabili ratione ducto, colligendum sit, quid morbum forsan fecerit. Etenim quoque aegrotantes ipsi vitae ante actae rationem saepissime celant, aliamque falsam narrando medici perdunt operam. Quocirca iam Aretaevs recte vereque dixit: *Caussam mali non iustam laborantes afferunt; quidam noui calcei attritionem, alii longam obambulationem incusant. Alii ab ictu aut calcatione ortum pronunciant: nemo autem caussam internam esse arbitratur; neque vero, si quis veram commemoret, fidem aegrotantibus facit.*

3) Fac autem, medicum nosse caussas, quae morbum antecesserint, omnes atque singulas (id quod vix centesimo aliquoties contigerit); in piis tamen semper manebit desideriis, vt compertum ille sibi habeat, quales potissimum

par-

partes inuaſerit morbi occaſio, et quonam modo illarum functiones laeſae an turbatae ſint, niſi ſymptomata reſpexerit. Ecquis eſt, quem fugiat, cauſſam eandem, et in diuerſis corporibus, et in eodem alio tempore diuerſos producere poſſe effectus? Sic ira, meditationes, vis electrica pluresque cauſſae modo nocent, modo nihil prorſus damni inferunt, modo ſalutiferum adeo habent effectum; quoties vero eadem contraria ſunt, in aliis ſthenicam, in aliis aſthenicam augendo nocent diatheſin. Cauſſam eruere adhuc difficilius eſt, vbi noxae deprimentes vna cum incitantibus morbum anteceſſerint, vti non raro fieri ſolet in ipſo rheumatismo. Dicere quempiam audio: *opus quoque eſt, priusquam invenire liceat certam medendi viam, vt materiae vitalis conditionem morbo priorem, ſiue cauſſam morbi internam, penitus perſpectam habeamus.* Aſt hic Rhodus, hic ſalta. Cum enim ſaepius ne occaſionales quidem noſſe liceat cauſſas, multo minus ad praediſponentes aditus nobis patet. Quicquid tamen ex his cognoſci poteſt, id corporis aegrotantis habitus atque valetudinis aduerſae

fae forma nos edocet. Ergo femper ex fignis difcendum eft, quanta fuerit corporis affecti ad noxas fufcipiendas difpofitio.

4) Quod reliquum eft, ne fcire quidem licet, fthenico an afthenico morbo laboret, quem curandum fufcepimus, ni fymptomata confulimus; id quod praefertim clarum, eft ex poteftatum incitantium ancipiti effectu, aut motus violentos, aut debilitatem indirectam adferente.

§. IV.

Arthritidis vis contagiofa.

Arthritidem, vbi femel inueterauit, per contagium peculiare ad alium quemlibet fanum propagari poffe, multa iam docuerunt exempla, quae in annalibus medicorum confignata reperiuntur. Quinetiam bruta huius morbi iniuriis affici poffe, magis quam vero fimile eft. *) Eandem vero contagiofam po-

*) Probe adhuc memoria teneo exemplum viri fexagenarii podagrici, quem, poftquam madente

potestatem teste THOMANNO *) vel rheumatismo tribuendam esse, equidem ego affirmare non ausim. Sequentem auctor memoratus narrat casum: *Vir quidam iuuenis die post nuptiarum sollennia ob diuersas rerum nocentium iniurias rheumatismo sic dicto inuadebatur, quo quidem neque ipse, neque parentes, fratres et sorores sui vnquam laborauerant. At recens nupta, postquam morbo iam ad finem vergente cum marito valetudinario concubuerat, tertio die post similites, et acerbius quidem affecta est.* Quam tamen contagio correptam in similem morbum incidisse, mihi non pro-

te medico domestico tres canes hunc in finem aluerat, vt sibi dormienti accumberent, intra anni spatium morbo penitus liberatum esse, vidi. Canium vero illorum posthac nullus fuit, qui non articulorum coloribus et tumoribus manifestis laborasset. Nec minus morbum per vestimenta tradi posse, experientia doctus scio; namque famulos duos, quorum alter tibialibus, alter calceis domini sui vsus erat, non ita post eodem malo implicatos esse, obseruaui.

*) Vid. ROESCHLAVB l. c. pag. 391.

probatur, quoniam profecto eaedem noxae, quarum in conuiuiis nuptialibus plures conueniunt, et maritum, et vxorem affecerint, licet in hac morbus serius vrgere coeperit..

§. VII.

Differentia aetiologica.

Iam supra (§. II.) exposui, *arthritidem* sensim neque sine praeuiis passionibus corpus innadere. Quamobrem arthritidi nonnihil inueteratae, sublata difficilior atque abdita magis, quam quae rheumatismi est, subiici debet caussa. Id quod profecto iam ARETAEVS haud nesciuit, inquiens nempe*): „ *Caussam* (arthritidis) *veram soli nouere dii, verisimilem tamen ipsi quoque homines.* " Ad quam paucis dilucidandam, vt me accingam, a rebus morbo articulari vulgo praecedentibus ordiri liceat. Equidem huic malo carnifici nunc alimentorum valde nutrientium atque stimulantium, verbi caussa carnium;

*) l. c. ibid.

nium, aromatum, vini, ſpiritus frumenti omnisque materiae difficilis abuſum, nunc rei familiaris inopiam, triſtitiam vel inuidiam longam, magnas corporis defatigationes, meditationes nimias, vigilias, ſanguinis profluuia, immoderatum veneris vſum et ſimilia antecedere, centenis exemplis euictum eſt. His vero cauſſis omnibus et ſingulis eorum viſcerum, quae praeſunt concoctionis et chylificationis muneri, functiones alio alioue modo perturbantur, ita quidem, vt poſtmodum pro re nata alii ob ſtimuli vitalis abundantiam ponderoſasque nimis ingurgitationes debilitate indirecta cum ventriculi et inteſtinorum atonia, alii ob contrarias prorſus cauſſas magna totius corporis et memoratarum inprimis partium ſenſibilitate laborare incipiant, quae cuncta iam euadunt ex morbi noſtri prodromis. Eandem ob rationem ii quoque morbi, qui magnam adducere ſolent viſcerum abdominalium debilitatem, vti febres neruoſae acutae et quartanae longae *), haemorrhoides etc. morbo articulari admodum fauent. Quinimo

*) Cf. HIPPOCRAT. aphor. 44 et 45. Sect. IV.

imo teſte Cl. CULLEN **) dolores arthritici cum digeſtionis laeſae ſymptomatibus vices ſuas alternant. Atque profecto viri ſeniles facilius arthritici fiunt, quoniam inter hanc aetatem iam multa alimenta minus commode feruntur, ſtomacho iuuenili nequaquam infeſta. Ipſa tandem exempla eorum, qui a patre arthritico procreati, ſed modice viuere ſoliti immunes hoc morbo vixerunt, quem alii citra omnem diſpoſitionem haereditariam vitae genere lauto ſibi conſciuerunt, ſatis teſtantur, quanta ſit ventriculi in morbo articulari producendo dignitas. His argumentis ductus crediderim; *arthritidem eſſe digeſtionem laeſam cum dolore acri, primum vago et lacerante, ſed progreſſu temporis circa articulos maxime ſaeuiente, vbi fixam ſedem nactus inter natos tumores et ſuperuenientes ſudores ſolui vel leniri, plerumque tamen certo tempore redire ſolet.*

Ex modo dictis ſatis apparet, effugere poſſe pleroſque morbi articularis cauſſam. Verum

*) *Anfangsgr. der pract. Arzneik. 2te Ausg.* 1. B. §. 497.

Verum à *rheumatismo* neminem tutum ſeruabit neque omnium functionum integritas, neque diligentiſſima victus appoſite ad leges ſanitatis adornandi cura, niſi huiusce morbi vitantur occaſiones. In his quidem referri debent ſubitum refrigerium, ſordities, domicilia humida, et quaecunque demum noxae vel cutis incitationem turbando vel poros ſubtiliſſimos obſtruendo tranſpirationem ſupprimere valent. Igitur hoc morbo ii potiſſimum tentantur, quos corpus ſuum aëris atque tempeſtatis iniuriis obiicere officii ſuſcepti adigit ratio, vt paſtores, milites, vigiles nocturnos aliosque plures. In nobilioribus feminas ob veſtimenta, quibus vtuntur, nimis leuia noſtra aetate crebrius, quam olim, doloribus rheumaticis vexari, inter omnes conſtat.

Cum autem noxae memoratae externam corporis ſuperficiem prae ceteris partibus inuadant, haud perperam ſtatuere licet: *rheumatismum conſiſtere in turbata cutis functione cum ſuperueniente dolore lacerante, pungente vel obtuſo, partium incitabilium vnam vel plures occupante, potiſſimum vero muſculis, tendinibus atque ligamentis infeſto.*

§. VIII.

§. VIII.

Differentia therapeutica.

Sunt, qui ſibi perſuadent, nullam arthritidis inter et rheumatismi medelam intercedere differentiam. Verum enim vero SYDENHAMI, BOERHAVII aliorumque celeberrimorum virorum fidis, quae vnquam factae ſunt, obſeruationibus ſatis euictum eſt, *arthritidis* curationem quam maxime redire ad remediorum ſtomachicorum et roborantium tonicorum vſum, frequentes corporis exercitationes atque victum parum nutrientem, licet digeſtu ſemper facilem. Quem tamen ita dirigendum eſſe, ſuaderem, vt in ea arthritidis ſpecie, quam producere ſolet debiti incitamenti inopia, ab alimentis infirmioribus ad valentiora, in ea contra, quae a nimia virium vitalium augmentatione atque ſuperueniente debilitate indirecta originem cepit, a valentioribus ad infirmiora ſenſim progrediamur. Arthritis ſthenica profecto nonniſi rariſſime occurrit. Si quando tamen eam reperire licet, ſemper fugienda ſunt in ipſis alimentis antiſthenicis ea, quae debito largius nutriunt, quoniam nutritionis exceſſu noua inferri

poſſunt

possunt sanitatis incommoda. Etenim mihi omnino aliud quidpiam esse videtur incitare, nutrire aliud. Sic quoque haud negauerim, ipsos nutrimenti errores, tanquam stheniae immodicae effectus, ideoque ex hac caussa articulorum tumores in quibusdam corporibus nasci posse.

Rheumatismum quod attinet, nemo est, quem fugiat, hunc morbum pro renata modo venaesectiones modicas et antiphlogistica interna, modo diaphoretica et diuretica, nec non in remediis externis vel vesicatoria et rubefacientia, vel discutientia potissimum exigere, vti nuper in libello quodam academico vberius expositum legi *). Ita tamen cuncta et singula remedia in hoc morbo administranda sunt, vt inprimis restituatur cutis debita incitatio.

Demum facile quispiam dixerit: experimenta antiquiorum virorum in re nostra prorsus esse superuacua, fallacia atque rationi

*) Vid. Praes. Berends resp. Mertins Diss. inaug. de rheumatismi natura remediorumque ad eum laudatorum effectibus.

rationi contraria. Si vero fides amplius nulla penes fidos obseruatores, multo minus iis credendum est, qui intra sola ratiocinia subsistunt. In quos et nostra aetate non raro cadere mihi videtur illud effatum, quo iam pridem empirici contra rationales medicos auctore Celso *) vsi sunt: „*sapientiae* quidem *studiosos maximos esse medicos, si ratiocinatio hos faceret: nunc illis verba superesse, deesse medendi scientiam.*"

*) De medic. lib. I. praefat.

Corrigenda.

---

p. 9, l. 4, lege plurimorum pro plurimum.

p. 10. l. 18. lege ophthalmia pro ophtalmia.